

T82
GAUDEO.
John Carter Brown.





Wm. Carter Brown

1849.

1er Pure refaict

2

# HISTORIA
# AMERICÆ
*SIVE*
# NOVI ORBIS.

Continens
IN XIII. DISTINCTIS
PARTIBVS

VERISSIMAM, EXACTISSIMAM, ET ADMIRANDAM DESCRIPTIONEM, VASTISSIMARVM, ET MVLtis abhinc ſeculis incognitarum Terrarum, quæ patrum memoria primùm detectæ, nunc paſſim
INDIÆ • OCCIDENTALIS
nomine vulgò vſurpantur.

*NARRATIO INCREDIBILIS JVCVNDITATIS ET VTILITATIS: IN QVA DE NATVRA ET SITV NOVI IL- lius orbis; de ratione Cœli, Elementorum ac Meteororum, de priſcorum Incolarum horrendâ Idolomaniâ; de ſtatu ac formis Politiæ, Rerumpubl. & Imperiorum; Anarchia, feritate et barbarie quorundam; Oeconomia, moribus ac ritibus diuerſarum gentium; qualitate ſoli; alluuione vtriuſq; Oceani; Fluuiorum indole; vbertate Frugum; præſtantia Metallorum; Volucrum, Animalium, Piſciumq;, illi orbis parti peculiarium, ingenio; miraculis Naturæ; bellis Indorum mutuis: et quicquid præterea curioſus lector deſiderare poteſt, verè, perſpicuè et ſufficienter pertractatur.*

Cum Exegeſi vlteriore, quomodo & à quibus primitus illæ regiones detectæ, ſubactæq; ſint: quæ Nauigationes à diuerſis Europæ populis, & quàm variâ fortunâ, ad hæc vſque tempora, eò ſuſceptæ fuerint: annexâ enumeratione conuerſationis, commerciorum, bellorumque cum Indis, Terræ incolis.

*ORNATA ELEGANTISSIMIS TABVLIS GEOGRAPHICIS, ET Figuris æri artificioſe inciſis innumeris, quibus Hiſtoriæ ipſi Lux, Lectori delectatio creatur.*

Deniq; acceſſit Elenchus Sectionum, & Index Capitum rerumq; præcipuarum in toto opere contentarum.

*FRANCOFVRTI*
Sumptibus
MATTH. MERIANI.

M. DC. XXXIV.



# IN OPVS AMERICANVM PRÆFATIO GENERALIS.



Ex ad minimum, candide & amicissime Lector, enumerari possunt causæ inquisitionis repertionisque tot nouarum ac antea incognitarum orbis terreni partium, regionum & prouinciarum: Generositas, Curiositas, Voluptuositas, Vtilitas, Necessitas atque Fatalitas. Primam harum quod attinet, equidem veritati consonum esse reor, *generosissimum* quemque, iam inde à conditu rerum, has sedes, in quas homo à creatore suo, tanquam in possessionem est missus, lustrare & accuratius cognoscere omni studio affectasse: vt inde, si nihil aliud, hoc certè disceret, *omnia esse angusta*, immò *punctum esse, quod inter tot gentes ferro, flammisq; diuiditur*: gentes, inquam, quæ adeo diuersis moribus & institutis vitam transigunt, vt earum nonnullæ (quemadmodum vel præsens Americanum opus manifestissimè edocebit) cum belluis potius, quàm cum hominibus diuino satu ortis, cognationem habere videantur. *Curiositate* verò motos mortales periculosissima itinera, & longissimas simulq; molestissimas peregrinationes, spontè & vltro suscepisse, nemo facilè inficias ibit, qui, *Hominem naturâ scire velle*, paullò altiori mentis indagine ruminauerit. Vnde rectè dixit ille, viæ & peregrinationis causam esse morem humani ingenii, dum ea scire concupiscimus, quæ à nostris finibus abesse natura voluit. Scilicet, *Externa nescio quo fuco se adornant, & plerunq; notis patriæ rebus beatiora videntur.* Paucis dicam; Quod rarum, carum, charum, atque præclarum.

*Rara iuuant: venit primis sic gloria pomis;*
*Hybernæ precium sic meruere Rosæ.*

Hinc illæ lachrymæ! hinc inquietæ istæ discursitationes! Et cur, quæso, æquora intentata, terræ habitationis suæ superficiem (qua longè lateque patet) imperuagatã, solitudines imperscrutatas, insulas inaccessas relinqueret ille, qui intima etiam & reconditissima matris Telluris viscera, qui omnium Elementorum latibula, immo qui ipsius Ætheris abstrusissima arcana mentis acie euoluere, & omnes cœlorũ plagas sagacissimis ingenii sui alis tam cõfidenter peruolitare ausus est? Non nego, hunc sciendi & cognoscendi feruorem, (modo se intra decẽtiæ limites contineat) laudem suam mereri apud sapientes. *Nihil enim scientiâ ardentius*

*dentius diligitur, nihil dulcius poſſidetur.* Et, *Felix qui potuit rerum cogno-* «
*ſcere cauſas.* Sed videmus & experimur, proh dolor! indies, pleriſque ſciendi cu-
pidis præfixum eſſe ſcopum non æquè laudabilem: cum multi ſint (recenſente «
Bernhardo) qui ſcire volunt, tantùm vt ſciant, quod mera curioſitas eſt: alii ſcire «
deſiderant, vt ſcientiam ſuam vendant pro numis aut honoribus, quod turpis «
quæſtus eſt: rurſus alii ſcire & multa nouiſſe præſumunt, vt ſciantur ipſi digi- «
toque monſtrentur in foro, quod ridicula quidem vanitas eſt, ſed talis, quæ «
multorum etiam peregrinantium laudem & famam notabiliter obfuſcauit, dum poſt reditum in patriam ex longinquo itinere, dies noctéſque nihil aliud ſomniauere, niſi quàm *dulce ſit publicè monſtrarier & dicier, Hic eſt.* Verùm, iſtis ſepoſitis, iam Tertiam cauſam, *Voluptuoſitatem*, ſeu voluptatis (ſub quâ etiam Diuitias, Honores & ſimilia comprehenſa volumus) cupiditatem, paucis expendamus. Ambroſius ait: *Nihil prodigæ ſatis eſt voluptati: ſemper famem patitur ſui, quæ alimentis perpetuis neſcit impleri.* Et Hieronymus: *Semper voluptas famem ſui habet, et tranſacta non ſatiat.* Hoc apertè videmus in iis qui peregrinando & circumuagando animi ſui deſiderium explere non poſſunt. Si præſertim accedat ſacra illa & planè inſatiabilis auri argentique fames, quâ non per mare ſolùm, perque terras, ſed & per ſaxa, per ignes, vel extremos vſque ad Indos, mortales feruntur. Nam *Aurum omnia poteſt.*

*Auri triumphum, quiſquis es, canas vates.*
*Auri triumphum dicimus. Veni pauper,*
*Tuumq; adora Numen, et feras votum.*
*Auro nec arces, nec minis ferox miles*
*Indomitus eſſe, penè nec poteſt virtus:*
*Dat corda timidis, atq; turpibus formam,* «
*Scientiaſq; rudibus, et nouis gentem.* «
*Quis dignitates aureas habet pauper?*
*Quis diues aut eſt ſtultus, aut timet leges?*
*Aurum profanum eſt; in ſacris tamen lucet.*
*Aurumque ſuperos placat, ac emit cœlum.*

Et certè Auaritiam, atq; Honorum ambitionem, non poſtremam fuiſſe cauſam ſuſceptarum Nauigationum verſus terras incognitas, qui ſtatuit, meo iudicio non protinus aberrat. Si præſertim Hiſpanorum indolem paulò attentius intueamur, eorundemq; in miſeros Indos horrendam crudelitatem, nil niſi aurum & gemmas ſitientem, animo noſtro ſeriò expendamus. Quâ de re legi poſſunt in hâc noſtrâ Americanâ Hiſtoriâ ea, quæ ſcripta reliquit in ſempiternam huius rei memoriam Hieronymus Benzonus Mediolanenſis: cui & alii fide digniſſimi maniſeſtè adſtipulantur. Summa, *Tyrannis Auaritiæ et Ambitionis comes eſt inſeparabilis.* Et honores, ſplendores, amores, abundantia, luxus &c. ſunt inſtar Lapidis Herculei, ſiue Magnetis, trahentis retrahentiſq; animos & corpora mortalium per omnes vniuerſi angulos; & dirigentis eorundem cogitationes ſæpiſſimè verſus ea loca, vnde certiſſimum periculum imminere haud obſcurum eſt.
vt iam ſileamus de Negotiatione & Mercatura, latentium lucrorum aſtutiſſima «
indagatione (vt loquitur Agrippa) & manifeſtæ prædæ auidiſſima voragine, quæ «

„ habendi fructu nunquam felix, ſemper autem quærendi cupiditate miſerrima. Hinc emit ille, vendit alter; hic portat, ille aſportat; hic Aſiam, ille Africam, & tertius Americam quærit; inquieti & impigri omnes, nec corporis, nec fortunæ, immò nec animæ ſæpius vllum periculum excludunt, modò lucrum ſperant; nec cognationes, nec affinitates, nec amicitias, nec exterarum regionum qualitates, nec incolarum mores, niſi ſola vtilitate metiuntur & colunt, ſicque omnes per omnem ætatem poſt lucrum, poſt diuitias currunt, ac ſi alibi laborum requies, vitæq; ſolatium nequeat inueniri.

*Impiger extremos currit Mercator ad Indos,*
*Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.*

Sed quærant illi atque requirant, quouſque voluerint, nos interea pergamus ad Quartam inſtitutarum Peregrinationum cauſam, *vtilitatem.* Neque enim exiſtimandum eſt, eiuſmodi viſitationes diſſitorum locorum, & conuerſationes cum populis ignotis, omni ſalubri fructu carere: vel noxias & peſtiferas eſſe velificationes, quia multi iiſdem turpiter abutuntur, quod accidit plerunque rebus in mundo precioſiſſimis & maximè neceſſariis. Saniori certè iudicio hac de re diſſerit Lipſius, ſtatuens *Peregrinationem eſſe inſtrumentum vſui rerum et pruden-*
„ *tiæ accommodatiſſimum.* Nam vt herbas & fructus naturæ deliquio ſerotinas,
„ procurato calore præcoces reddimus: ita mentem licet opportuna peregrina-
„ tione. Et vt pueruli, cum è luce in tenebras transferuntur, horrent; ſic alieno Lare
„ quærit ſe animus, & cura ac circumſpectione contrahitur: contrà, ſi domi in igna-
„ uiam ſe libertas vernacula ſoluit, & pueriles ineptias reliqua ætas recipit ne in
„ ſenectute quidem eluendas. Sic quidem videri poſſint, qui vitæ vota, vbi nati,
„ ſepeliunt, teſtudines eſſe, immò pueri in omni ætate: cumque nimium deſidet di-
„ tioris indolis vigor, in ſinu materno contabeſcit. Peregrinatione autem deletur
„ parentum indulgentia, vt à pueritia iuuentutis ille genius diſcernatur. Alios an-
„ nos alii mores decent, & alios mores alii anni docent. Semper ille puer qui domi
„ eſt, qui extra paterni agelli ambitum ſolem non vidit. Verùm, ſi vtilis debet eſſe peregrinatio, minimè ſufficit ſolius corporis tranſitus. Nam vagari, luſtrare, diſcurrere quiuis poteſt, pauci indagare, diſcere, id eſt verè peregrinari. Nec ſufficit Regiones, caſtella, ſepulcra & ludicra varia vidiſſe: verum neceſſarium eſt, ſtatum vniuſcuiuſque Reipublicæ, officia, modum viuendi, religionem, leges, mores, naturaſque populorum, quàm diligentiſſimè proſpexiſſe, in quo vera Prudentia, Dux & Lux vitæ humanæ conſiſtit. His accedunt commoda & incommoda, tam Naturalia, quam Artificialia, & cuiuis regioni peculiaria. Nam diuerſimode diſtribuit dona ſua ſapientiſſimus opifex, *nec omnis fert omnia tellus.* Hincque ex peregrinatione multum accedit phyſiologiæ ſeu ſcientiæ rerum naturalium: multum Aſtronomiæ, Geographiæ & cæteris Matheſeos partibus: non minus doctrinis philoſophiæ practicæ, Ethicæ, Politicæ, Oeconomicæ; multum item Medicinæ: & plurimum Theologiæ, modò Diuini verbi & Euangelii prædicationem, ac ſyncerioris Chriſtianæ doctrinæ inculcationem, paulò maiori & feruidiori zelo vrgerent ii, quibus id conceſſum & demandatum eſt. Sic procul omni dubio, cœlum & terra ex iſtis Nauigationibus commodum ac incrementum perciperet longè maximum. Sequitur *Neceſſitas*, cauſa Quinta;

quæ

quæ quidem iamiam ex antecedentibus ſatis ſuperque elucèſcere & animaduerti poteſt. Etenim ſi commodam vitam ducere, ſi ea quibus quotidie indigemus hinc inde corradere, ſi negotiationes promouere, ſi victum & amictum parare, ſi varias ſcientias & artes liberales excolere, ſi iuuentutem formare, ſi animum, mentem & mores polire, ſi Reipublicæ commodis proſpicere, Eccleſiæ incremento vigilare, ſi corporis valetudini & animæ ſaluti conſulere, ac omnibus in vniuerſum hominibus prodeſſe neceſſum eſt; quid quæſo magis neceſſarium Peregrinatione, vnde prædicta, & infinities plura, emanant omnia? De recreationibus (quæ & ipſæ, ſuo tempore & modo admodum neceſſariæ ſunt) nihil nunc addam, cùm ſatis per ſe pateant, & nimis deplorandum ſit, *multos hodiè non tam cum fructu, quàm cum voluptate peregrinari, plura ad aſpectum quàm ad ſalutem referentes:* quos Lipſius olim comparauit cum « Coronariis, belliſſimas ſaltem herbas floreſque ſtuppis aut coronis innectentibus, « ſalubrium interim cura neglecta. «

Supereſt cauſarum Peregrinationis, quas initiò enumerauimus, vltima, *Fatalitas*, nobis Chriſtianis potius Diuina Prouidentia dicta. Rem enim admirabilem inprimiſque ſtupendam fuiſſe, nemo ſapiens, & cui à meliori luto finxit præcordia Titan, negabit, quod ante annos centum & plures, vnius anonymi cuiuſdam inſtinctu, (quem tamen non nemo Anton. Sanchetz de Huelvâ vocat) vnius Chriſtoph. Columbi Genuenſis feliciſſimo auſu, vnius magnanimæ fœminæ Iſabellæ Caſtilliæ Reginæ liberali ſumptu, fuerit factum, hominibus vt nouus planè innoteſceret orbis, magnitudine vix antiquo cedens, & qui omnibus in noſtratis mundi partibus conſtitutis penitus tum incognitus erat, quemque in rerum exiſtere natura, ne in ſomno quidem vnquam cogitarant. Quod certè non ſine occulto Numinis inſtinctu (quam ſupra Fatalitatem diximus) contigiſſe putandum eſt. Et profectò nouum hunc orbem exploratum detectumque iri aliquando, multorum vel vaticinationibus vel coniecturis cognitum prædictumque iam olim fuiſſe videtur ſapientioribus. Hinc oraculum Senecæ:

*Venient annis ſecula ſeris,*
*Quibus Oceanus vincula rerum*
*Laxet; & ingens pateat tellus,*
*Tiphyſq;* nouos *detegat* orbes:
*Neque ſit terris vltima Thule.*

Immò viri præclari nullatenus dubium habere volunt: hoc idem etiam Cumanam indicauiſſe Sibyllam, quando ita eſt vaticinata:

*Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo*
*Delectos Heroas* &c.

Cur autem, tot iam retrò ſeculis præterlapſis, hæ tantæ magnitudinis & tam opulentæ terræ, potuerint latere noſtrates, non immeritò exquiritur. Multi putant Carthaginenſes olim huiuſmodi Nauigationes, quippe ipſorum negotiationibus damnoſas, de induſtria prohibuiſſe: alii credibilius autumant, neglectas fuiſſe haſce regiones, propter varias commutatio-

nes imperiorum, & cætera quæ tales viciſſitudines plerunque ſequi ſolent vix enumeranda incommoda: quibus cauſis tertii, & forſitan non ineptè addunt imperitiam nauigandi, & quod admirabilis iſtius Pyxidis nauticæ abſtruſæ & ſtupendæ proprietates, vtilitateſque inſignes, veteribus fuerint inexploratæ: vnde nemo ſe facilè vaſto Oceano committere auſus fuerit, ſed vt plurimùm naues in vicinia continentis detinere, & littora legere coacti ſint. Sed miſſis his ſimilibuſque probabilibus coniecturis, cauſa omninò ſublimior ſubeſſe videtur, inquiſitionis & repertionis incognitarum terrarum. Fuerit ſanè generoſi animi feruor; fuerit curioſæ mentis ſtimulus; addiderit calcar vel regnandi vel diteſcendi, vel habitationes extendendi, vel corporis voluptatibus indulgendi, vel etiam ſciendi & experiundi varia, effrenis libido; impulerit vtilitas; coegeritque neceſſitas ineuitabilis; quicquid horum fuerit, res tamen hæ tales tantæque ſunt, vt vel meditantis ſuperare captum, vel ad mentis quoque ſtuporem adigere poſſe videantur, quoties earum conſiderationem animum intelligentis cordatique viri ſubire contingit. Olim quidem, hominum genere in terris multiplicato, cùm vnus fundus tot mortalibus alendis non ſufficeret, paulatim in patrias & tribus diſceſſionem facere, & longius à ſe mutuò, alius aliò, pro opportunitate, concedere coacti ſunt: ſed noſtros Argonautas an tale quid quoque permouerit, vt traiecto primùm mari Atlantico, & emenſis Æthiopici pelagi ſpatiis, ad occidentaliſſimos, & ferè Antipodas vſque, tam audacter penetrarint, vix veriſimilis, vel ſaltem vix ſufficiens cauſa ſtatui poteſt. Prudentiores certè & perſpicaciores, hoc negotium paulo altius ordiuntur: & ille, qui temporum periodos ac ſigna, mirabilemque ſeculorum, vel per tranſennam, inſpexit harmoniam; qui nouit
„ DEUM ſtatera ponderaſſe æuum, & menſura tempora menſum eſſe, ac eadem
„ numero numeraſſe; Ille, inquam, opera facillima deprehendet conſonantiam
„ maximam, & typicam ſubeſſe Harmoniam inter tempora vetera & recentiora.
NB. De quo tamen nunc pluribus agere, & rem tantam pro dignitate prolixè pertractare, huius equidem loci non eſt. Sufficiat, nobis hodiè loca iſta ampliſſima, ineffabili noſtro commodo, patere, ſiue iam Generoſitas, ſiue curioſitas, ſiue voluptuoſitas, ſiue vtilitas, ſiue Neceſſitas, ſiue denique diuina aliqua Fatalitas primos indagatores ad tentanda tam tædioſa, periculoſa & incerta itinera, adegerit vel extimularit.

Reperiuntur quidem (quod ſilentio præterire non poſſumus) Viri grauiſſimi, quibus omnino veriſſimum videtur; Inſulas adiacentemq; noui illius orbis continentem, etiam olim, multa ante ſecula, orbi noſtro non plane incognitam extitiſſe. Cum ſit apud Platonem memoria vetuſtiſſimæ Inſulæ Atlantidis, adeo magnæ, vt Aſia atq; Africa ampliorem etiam ſcribat: quin tandem etiam ita deſcribat, vt nullus dubitationi locus ſuperſit, orbem hunc nouum aut partem, aut ipſam eſſe Platonicam illam terram.

Primò enim facit locatq; Inſulam iſtam grandem ad fauces Gaditani maris, quæ longè latéq;, introrſum ſcilicet, pateret; & ex qua tranſitus eſſet ad Inſulas alias, ac ex iſtis iterum ad oppoſitam continentem, mari adiacentem. Hæc ſi conſideras & ſcrutaris; nil aliud dicere videtur, niſi Inſulam illam magnam ſtatim ab Hiſpa-

nia fuiſſe; vbi etiam hodie adhuc (poſtquam illa illuuione periit) eius velut fragmenta ſuperſunt: Canariæ, Fortunatæ, ac ſi quas alias tota Africæ ora interior Inſulas habet. Ex illa porrò, memorat Plato, tranſitum in Inſulas fuiſſe; (eas puta, quæ nunc quoque præiacent continenti; Cubam, Hiſpaniolam, Iamaicam & plures:) at ex Inſulis in ipſam continentem: nempe vel in Peruanum vaſtum tractum, vel in vaſtiorem Mexicanum. Vides hanc ex fide Ægyptiacæ hiſtoriæ narrationem Platonis, cum Indiis noſtris pulcherrimè conuenire. Tacebo quæ ex Proclo, Æliano, Plutarcho, Homero, Plinio, Ariſtotele, Diod. Siculo, Solino & aliis, pro præſentis rei confirmatione in medium afferri poſſent: & vnius ſolùm mentionem adhuc faciam, quod ex aliorum ſenſu recenſet Auitus declamator apud Senecam, dum ait: Fertiles in Oceano iacere terras, vltraque Oceanum rur- « ſus alia littora, alium naſci orbem. Clarius, ſi noſtra tempora inſpiciamus, vix « potuit effari aut deſignare; quamuis tum Auito ridiculum id fuerit viſum; (ſicut olim Sancti quoque Patres, terram rotundam & Antipodas, negare non ſunt veriti:) ideoque addit; Facilè iſta finguntur, quia Oceanus nauigari non poteſt. Palàm etiam Seneca oſtendit alicubi, Reges magnos, genteſq; ignotas vltra maria eſſe; & timet etiam, ne aliquando in noſtrum excurrant orbem. Nulla, « inquit, terra, tam longè remota eſt, quæ non mittere aliquò ſuum malum poſſit. « Vnde ſcio, an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus, fortunæ indulgen- « tia tumens, non contineat intra terminos arma, an paret claſſes ignota mo- « liens? Et hæc ſanè Indis occiduis euenerunt, ignariſſimis Hiſpanorum.

Demum etiam Maro terræ illius mentionem facit, immo vaticinatur, Romano Imperio eam ſubiiciendam: Æneid. 6.

*—— Iacet extra ſidera tellus,*
*Extra anni ſoliſque vias; vbi cœlifer Atlas*
*Axem humero torquet, ſtellis ardentibus aptum.*

Extra ſidera quod eam locat, planetas intellige, qui intra Tropicos decurrunt: & ideo, velut interpretans, addit: extra ſolis & anni vias. Ergo vltra Torridam ponit, ac quidem Auſtrum verſus, & ἀντάξιοι nobis. Sicut quod de Atlante ſcribit: haud de illo Africæ eſt accipiendum, ſed eo quem Plato celebrauit, quemq; iſtis in locis regnauiſſe refert.

Manet idcircò etiamnum veriſimile, veteres de his terris aliqualem quantumuis exiguum habuiſſe guſtum, licet primus earum inuentor paſſim celebretur ſupranominatus Chriſtophor. Columbus, qui tamen Anno Chriſti demum 1492. nauigationem ſuam (ſatis quidem animoſe & feliciter, ſed non ſine extremis periculis) inſtituit. Quemadmodum prolixius legere poteris in operis huius parte Quarta. Vbi ſimul notabis, Nauigationes in hoc volumine minimè diſpoſitas eſſe, iuxta certam temporis, quo contigerunt, ſeriem, ſed eo ſolùm ordine, quo vna poſt alteram ad manus Typographi primò peruenit. Quod ſi ergo deſideras in lectione rationem habere temporis, prioris vel poſterioris, hoc tibi dabo conſilium. Percurras primò omnium, dictam quartam partem de inſigni & admi-

randa hiſtoria repertæ Indiæ Occidentalis à Chriſtophoro Columbo. Anno vt ſuprà 1492.

Huic ſubiungas Nauigationes duas Americi Veſputii, ſub auſpiciis Regis Caſtellani Ferdinandi ſuſceptas ann. 1497. & 1499. quæ habentur in parte huius operis Decima.

Porrò addas Hiſtoriam, qua ratione Hiſpani Regni Peruani prouincias occupauerint anno 1526. Ea recenſetur in parte ſexta. Item Hiſtoriam memorabilem prouinciæ Braſiliæ ſcriptam à Joh. Stadio Homburg. Heſſo. an. 1547. Vbi etiam (nempe in parte III.) exemplar Literarum de Nauigatione Nicol. Villagagnonis &c. ann. 1555.

Et narratio profectionis Johann. Lerii in prouinc. Braſilienſem an. 1556. His perlectis deuenias ad part. VII. in qua habetur vera & iucunda deſcriptio præcipuar. quarundam Indiæ Occidentalis Regionum & inſularum hactenus incognitarum. Ab Ulrico Fabro Straubingenſi an. 1534.

Mox recurras ad part. V. vbi videbis nobilem & admiratione plenam Hiſtoriam inſignis crudelitatis Hiſpanorum, tum in Nigritas ſeruos ſuos, tum etiam in Indos. an. 1554.

Præterea recenſentur Gallorum piratarum de Hiſpanis reportata ſpolia. Item, Hiſpanorum aduentus in nouam Indiæ continentis Hiſpaniam.

Nunc vlterius retrogrediaris ad part. II. & perluſtres breuem narrationem eorum, quæ in Floridâ Americæ Prouinciâ Gallis acciderunt, ſub Duce Renato de Laudonniere, ann. 1564. Item de Gallorum expeditione in Floridam, & clade ab Hiſpanis ipſis illata. anno 1565. Hoc poſterius reperies in Parte VI.

Hinc deuenias rectà ad ſectionem ſeu part. VIII. legaſque Nauigationem primam Franciſci Draken Eq. Angli ann. 1577. qua totum terrarum orbem permenſus, multa memoratu digniſſima expertus eſt. Tum protinus ad principium recurras, hoc eſt, ad part. I. huius operis, & euoluas admirandam narrationem de commodis ac ritibus incolarum Virginiæ, coloniam eo deducente D. Richardo Greinvile, & ſumptus faciente Dn. Waltero Raleigh, Equitib. Anglis, ann. 1585. Huic deinde narrationi ſubiungas ex parte VIII. ſecundum iter Franciſci Draken Eq. Angli &c. in Ind. occidentalem. ann. 1585. Et circumnauigationem totius orbis Thomæ Candiſch. an. 1586. Necnon tertium iter dicti Draconis, ad expugnandam ciuitatem Panamam an. 1595. Et vltimo, Nauigationes duas Gualtheri Ralegh an. 1595. & 1596.

Sequitur pars operis IX, id eſt, deſcriptio duarum Nauigationum Hollandicarum in diuerſas orbis partes, binis libris comprehenſa. Quorum Primus narrat, quo pacto quinq; naues, quæ Ambſtelodamo ſoluerant an. 1598, Magellanici freti anguſtiis ſuperatis, in Moluccas pertendere conatæ, diuerſo euentu vſæ fuerint. Secundus percenſet felicem & admirabilem orbis periplum Oliuerii *vander Noordt.* an. eod. Porrò tranſeas ad part. XII, & percurras deſcriptionem Indiæ Occidentalis Anton. de Herrera an. 1601. Item narrationem omnium nauigationum

uigationum per Fretum Magellanicum; quæ quidem diuerſis temporibus contigere. ſed non opus eſt, vt hoc in loco, ratione temporis, ſimus ſcrupuloſiores. Subiungere poteris paralipomena Americæ, in quibus plurima obſeruatione & lectione non indigna habentur. Sic pergas ad partem X. & XI. excerpendo ſolidam narrationem de moderno Virginiæ ſtatu. Auth. Raphe Hamor. an. 1614. Et veram deſcriptionem nouæ Angliæ à Capit. Iohan. *Schmidt* &c. an. eod. Item admirandam nauigationem Georgii à Spilbergen, claſſis Belgicæ præfecti, per fret. Magellanicum & Mare meridionale. an. vt ſup. Nec non Relationem inauditi itineris à Wilhelmo Schouten Hollando peracti, quo in meridionali freti Magellanici plagâ nouum hactenuſque incognitum in Mare Auſtrale tranſitum feliciter patefecit. A. C. 1615. & ſequentibus.


Tandem euolutis his omnibus, in manus ſumas Part. XIII. & vltimam huius operis Americani, vbi reperies 1. Deſcriptionem vberiorem nouæ Angliæ, Virginiæ, Braſiliæ, Guianæ & Inſulæ Bermudæ. 2. Chorographiam Terræ Auſtralis hactenus incognitæ. 3. Deſcriptiones nou. Mexici, Cibolæ, Cinaloæ, Quiuiræ, rerumque memorabilium in Iucatan, Guatimala, Fonduris & Panama obſeruatarum. 4. Nauigationem Hollandorum per vniuerſum orbem, Duce Iacobo Eremitâ. ann. 1623. 5. Hiſtoriam expugnationis vrbis S. Saluatoris. an. eod. 6. Hiſtoriam claſſis Hiſpanicæ interceptæ à Petro Heinio. an. 1628. 7. Occupationem vrbis Olindæ de Fernambucco in Braſilia, ab Hollandis, Duce Cornelio Lonck. A. C. 1630.

Et ſic lectionibus tuis, non ſine fructu ac delectatione inſigni, colophonem feliciſſimè impones.

Hæc Te monere voluimus, amiciſſime Lector, in veſtibulo libri, ne Partium fortè minus concinno ordine perturbareris, ſed abſque ambagibus Hiſtoriam quamcunque leui labore reperire & repetere poſſes. In quem quoque finem omnium Sectionum Elenchus, quâ iſtæ ſe inuicem conſequuntur ſerie, huic ſtatim præloquio ſubiungere placuit. Quod ſupereſt, ſperamus Te hunc noſtrum Laborem tali animo interpretaturum, quali nos eundem publicè exhibemus. Vale, candide Lector.

*ELEN-*





# ELENCHVS
## SINGVLARVM SECTIONVM,
*SEV*
## PARTIVM TOTIVS OPERIS AMERICANI:
### *Cum Indice Capitum rerumq; præcipuarum, & maximè memorabilium, in istis XIII. partibus contentarum.*



4. *De*

4. *De Gallorum in Floridam nauigatione quarta sub Gourguesio. an.* 1567.

III. Memorabilis prouinciæ Brasiliæ Historia, germanico primùm sermone scripta à Iohanne Stadio, Homburgense Hesso &c. Addita est Narratio profectionis Iohannis Lerii in eandem prouinciam, initio gallicè exarata. Item Exemplar duarum literarum de nauigatione Nicol. Villagagnonis, Eq. Melitensis, in illam Americæ prouinciam quæ vltra Aequatorem ad Tropicum Capricorni extenditur. Historiæ Stadianæ *breue Argumentum hoc est. Initiò summatim describuntur duo itinera naualia, quæ confecit Iohannes Stadius intra nouennium.*

1. *Ex Portugallia in Brasiliam.*
2. *Ex Hispania in noui orbis Americæ prouinciam Rio de Plata.*
3. *Quomodo sclopetarii vicem obierit Stadius, & arci ab incursu hostili defendendæ præfectus fuerit, in Brasiliæ quadam parte, cuius incolæ Tuppin Ikinsii, & Lusitaniæ Regi subsunt.*
4. *Quomodo captus ab hostibus Barbaris, & miserè abreptus fuerit, vbi nouem mensium captiuitatem sustinuit, non nisi in cruentam hostibus escam reseruatus.*
5. *Qua ratione tandem, miraculo potius diuinæ Maiestatis, quàm vllo vel rationis, vel humanitatis beneficio, liberatus, & incolumis patriæ suæ dilectæ redditus fuerit.*
6. *Sequitur succincta quidem, sed fide digna expositio, de rebus & moribus Tuppin Imbarum &c. apud quos Stadius per dictos nouem menses captiuus fuit.*

*Figuræ passim intermixtæ sunt.*

Profectionem Lerii *quod attinet, totius historiæ Summa capita sunt ista.*

1. *Auctoris scopus.*
2. *Ascensus in naues Iuliobonæ: itemque occursus nauium & expugnatio; tempestates, littora & insulæ primùm obuiæ.*
3. *Bonitæ, Albakoræ, Auratæque, & Sues marini, Piscesque volatiles, aliique visi atque capti sub Zona torrida.*
4. *De Aequinoctiali circulo, tempestatibus, ventorum inconstantia, pluuiis corruptis, caloribus, siti, aliisque incommoditatibus, circa illam mundi plagam.*
5. *De primo Indiæ occidentalis conspectu, & incolentium Barbarorum: deque iis, quæ his nauigantibus in mari acciderunt &c.*
6. *Descriptio sinus Ganabaræ seu Geneurensis, Insulæ Castellique Colignii, atque Insularum adiacentium.*
7. *De ingenio, robore, statura, nuditate, ornamentis corporis, virorum & fœminarum Brasiliensium.*
8. *De crassis radicibus & crasso milio, ex quibus Barbari farinam conficiunt, qua in panis vtuntur locum: deque eorum potione, quam Caou-in appellant.*
9. *De feris, prægrandibus lacertis, serpentibus, aliisque Americæ monstrosis animantibus.*
10. *De variis Americanis auibus à nostris dissidentibus, de magnis vespertilionibus, apibus, muscis, culicibus, aliisque regionis illius insectis.*
11. *De nonnullis piscibus apud Americanos maximè vulgaribus, deque eorum piscatu.*
12. *De Arboribus, herbis, radicibus, exquisitissimisque fructibus, qui in Americano proueniunt solo.*
13. *De bello, præliis, fortitudine & armis Barbarorum.*
14. *Captiuos suos, quo tractent modo Barbari, qualibusque ceremoniis in iisdem mactandis & deuorandis vtantur: quibus per occasionem immanissimæ crudelitatis alia exempla adiecta sunt.*
15. *Quid nomine Religionis apud Barbaros Americanos veniat; de erroribus, in quos ab impostoribus, quos Caraibes vocant, inducuntur; deque crassissima Dei ignoratione quæ apud eos obtinet.*
16. *De coniugio, Polygamia, & consanguinitatis gradibus, quos Barbari obseruant: deque liberorum apud eos educatione.*
17. *Quid leges, quidque politia apud Brasilienses nuncupari possint; quàm humaniter excipiant hospites; deque lachrymis ac fictis sermonibus, quibus peregrini in ipso ingressu à mulieribus excipiuntur.*
18. *Quam curam morbis suis adhibeant Barbari: de eorum sepultura & exequiis; deque insano circa mortuos luctu.*
19. *Colloquium in ipso aditu Brasiliensis oræ, inter indigenas Tououpinambaultios Tououpinenkin, Brasilicè ac Latinè conscriptum.*
20. *De peregrinantium ab America discessu, deque naufragiis, & aliis non minimis extremitatibus &c.*
21. *De extrema fame, tempestatibus aliisq; non paucis periculis, à quibus in Galliam redeuntes diuina ope erepti sunt hi ipsi nauigantes.*

*Figuræ*

*Figuræ ſuis locis hinc inde inſertæ ſunt. Poſt ſequitur Exemplar duarum iſtarum literarum, de Nauigatione Villagagnonis, verſus Tropicum capricorni &c. de quibus in tit. generali huius partis III. mentio facta fuit.*

---

IV. Inſignis & admiranda Hiſtoria de repertâ primùm Indiâ occidentali à Chriſtoph. Columbo an. 1492. Scripta ab Hieron. Benzono Mediol. qui iſtic annis 14. verſatus, diligenter omnia obſeruauit.

*Et eſt hæc Hiſtoriæ Benzonianæ ſectio I. cuius iſta ſunt capita.*

26. *Indorum occid. Religio. Satanæ in fascinando ipsos versutia. Sacrorum ritus. Arbusti cuiusdam accensi fumo inebriantur.*
27. *Eorundem Matrimonii leges. Auaritia inde exulat.*
28. *Eorundem Fruges. Panis faciendi mos. Potus variæ species.*
29. *Peculiaria Insecta Indiæ occid. Hispaniolæ breuis descriptio. Cur inepta vino & tritico. Sacchari ferax est. Mercaturæ quæ hodie ibi exercentur.*
*Subsequuntur figuræ 24.*

---

V. Nobilis & admiratione plena Historia, de Hispanorum tum in Nigrittas seruos suos, tum in Indos crudelitate. Vbi etiam recensentur Gallorum piratarum de Hispanis reportata spolia. Item aduentus Hispanorum in nouam Indiæ continentis Hispaniam, eorumq; in incolas sæuitia.

*Estque hæc ipsa Historiæ Benzonianæ sectio 2. Cuius primaria capita sunt ista.*

1. *Hispani Indicis consumptis ex Aethiopia mancipia adsciscunt. Seruiles tumultus in Hispaniola.*
2. *Galli piratæ Hispanas naues excipiunt. Hispanor. in armandis nauibus negligentia.*
3. *Anzulles Hispanus prœlio nauali à Gallis funditur. Galli ab Hispanis capti. Avana à Gall. diripitur.*
4. *Hispani Gallos circumuentos trucidant. Galli Hispanicas Colonias in Cuba, S. Ioan. & Iamaica diripiunt.*
5. *Carthaginensium & San-Mathensium Indorum mores & commercia. Hispani Smaragdos & aurum ab iis extorquent, & bella, seruitutem ac rapinas reponunt.*
6. *Germani aliquot Hispanor. exemplo Indos vexant. Illi quæsita morte intereunt. Valletunienſium religio, arma & mores.*
7. *India multis locis desolatur. Incolæ Hispanicam seruitutem effugiunt. Hispanis ægre commeatus præbent. Pecuniam aspernantur.*
8. *Panamensis & Veneti emporii collatio. Quæ Mercaturæ ab Hispanis in Indiæ continenti exerceantur. Hispanorum cum Italis duellum.*
9. *Panamæ, & Nominis Dei, situs. Aethiopes fugitiui Hispanor. negotiationes infestant.*
10. *Descriptio Veraguæ. Did. Gottierez eam inire audet. Eius regulos beneficiis demulcet. A militibus famelicis deseritur. Alios Nomine Dei accersi curat.*
11. *Diet-Gottierez Regulos Surrensis prouinciæ verbis delinit, mox vinculis onerat & aurum extorquere nititur. Cacicus vnus custodia elabitur.*
12. *Did. Gotierrez paulatim contabescit. A Barbaris interficitur. Equitatus Indis formidabilis.*
13. *Quo consilio Hispani expeditiones in Indiam susceperint. Sotti & Narvaez infaustæ expeditiones. Ferd. Cortesii in Mexicanos sæuitia & perfidia.*
14. *Oua Crocodilorum edulia. Iguannæ lacertarum genus. Manati pisces. Suerensium mores. Animal gemino vtero. Vespertilionum dirum genus.*
15. *Francis. Fernandis & Franc. Montegii in Iucatanam expeditiones. Iucatanensium querelæ. Fondurens. prouinciæ desolatio, & incolarum odium in Hispanos.*
16. *Indus depingit mores Hispanorum. Cur Indi Hispanorum iugum acceperint. Descriptio Nicaraguæ, Incolarum potus & saltationes. Mons flammiuomus.*
17. *Pet. Aluaradi expeditio in regnum Peruanum. Eius mors, conscientiæ dolor, & vxoris, Deum ipsum increpantis, interitus.*
18. *Indorum color. Vinum & Ferrum in pretio habent. Legendi & scribendi peritiam in nostris mirantur. Hispanicum iugum excutere cupiunt.*
19. *Indi Christianorum iudices. Sacerdotes & Monachi in Ind. occid. auari. Indi Hispanorum consuetudine deteriores, Christianam religionem rident.*
20. *Indorum pertinax Idololatria. Did. Lopez epistola depingens mores & vitia ecclesiasticorum & iuridicorum Hispanorum in India occidentali.*
21. *Ceratum, Hispanor. flagitiis resistentem, mors intercipit. Iudicum onerosum munus.*

*Sequuntur figuræ æri artificiose incisæ numero 22.*

---

VI. Historia, quâ ratione Hispani opulentissimas Peruani regni prouincias, capto Rege Atabaliba, occuparint. Et de ciuilibus bellis in eo Regno inter ipsos Hispanos. Item breuis commentariolus de Insulis Fortunatis. Porrò expeditio Gallorum in Floridam 1565.

*Hacque parte continetur Historiæ Benzonianæ sectio 3. & vltima. Capita sequuntur.*

1. *Fran-*

8. Ioh.

8. *Ioh. Ribaldus naufragium facit. Galli fame conflictantur. Ab Hispanis fœde trucidantur.*

*Claudit hanc partem* Supplex libellus *viduar. & orphanorum in Gallia, ad Regem Carolum IX. propter cladem Gallis illatam in Franciâ Antarcticâ ab Hispanis &c.* 1565. *Qui quoque suprà parte* 2. *habetur.*

*Et tandem subnectuntur* 28. *Figuræ æneæ.*

---

VII. Vera & iucunda descriptio præcipuarum quarundam Indiæ occidentalis regionum & insularum, ab Vlrico Fabro Straubingensi perlustratarum an. 1534. *Et his ordine constat capitibus.*

1. *Classis instructio propè Calis sub Archithalasso Pet. Manchossâ. Seuiliâ soluunt, Canariasque petunt. an.* 1534.
2. *Veniunt in Ins. S. Iago, & aliam auibus refertam, demum attingunt Ins. Rio Ienero.*
3. *Hinc soluentes deueniunt in portum S. Gabriel. Et tandem in Rio della Plata an.* 1535. *vbi regionis, incolarum, & aliar. rerum memorabilium descriptio.*
4. *Fames & cæteræ miseriæ describuntur.*
5. *Indi ciuitatem Bonas Aeieres impetunt.*
6. *Naues rursus conscendunt & Thyembos petunt.*
7. *Manchossa reuertitur in Bonas Aeieres, repetit Hispaniam, & in itinere moritur. Alphonsus Gabretus adducit alias duas naues ex Hispania. Instituitur cursus in Fluuium Paranam: subiungitur istius tractus & incolarum descriptio.*
8. *De ingenti serpente, & nonnullis populis circa fluuium Paranam.*
9. *Perueniunt ad Carios. Describitur regio & indigenarum mores &c.*
10. *Carii cum Christianis pugnant, mox gratiam petunt, & fœdus pangunt.*
11. *A Cariis proficiscuntur ad Peiiembas.*
12. *Vlterius pergunt ad Naperios & Peiissennas.*
13. *Christiani ab Indis misere interimuntur. Homicidæ cremantur. Christiani colliguntur.*
14. *Consilium cruentum ipsorum Christianorum, aduersus Thyembas.*
15. *Thyembæ illatam iniuriam vlciscuntur.*
16. *Christiani naufragium faciunt. Veniunt in ciuit. Bonas Aeieres. Nouus Dux ex Hispania.*
17. *Nauigant in altum fluminis Paraboe. Veniunt ad Achkereros. Pugnant cum Daberis. Ad Bachereos proficiscuntur.*
18. *Veniunt ad Surukusos, Achkeros, & Scheruos. Varia obseruant.*
19. *Ad Regem Scheruorum pertingunt.*
20. *Humaniter excipiuntur. De Amazonibus discursus. Veniunt ad Siberios & Orthusios.*
21. *Reuertuntur propter luem ad Scheruos, & mox nauigant ad Generalem. Oritur seditio.*
22. *De regione Suruckussierorum. Superbia Ducis Albernunzii, qui captiuus mittitur in Hispaniam. Oritur bellum intestinum, & Carii deficiunt.*
23. *De rebellione Cariorum & aliorum Barbarorum contra Hispanos.*
24. *Hispani hostes persequuntur. Pagum Thaberi expugnant. Regiones vicinas perlustrant.*
25. *Ad Naperos veniunt. Hinc ad Maipaios. Describuntur Regio & Incolæ.*
26. *De Pethonis, Maiiegonis, Marronis, Parronis, Symannis, Barchkonis, Zeyhannis, Carconis, atque Siberis, Indiæ occid. populis.*
27. *Veniunt ad Peyssennos, Maigenos, & malè excipiuntur. Pergunt ad Karcockios humaniores.*
28. *Hinc ad Machkockios. Vbi redduntur Duci Literæ inhibitoriæ ex Peru. Ipse mittit legatos versus Limam.*
29. *Cibus apud Machkockios deficit: ergò reuertuntur ad Karcockios. Cum quibus pugnant satis feliciter.*
30. *Veniunt ad Ciuitatem Nostra Signora de sumsione. Bellum oritur inter Duces. Vlricus Faber dimissionem impetrat, & iter versus patriam ingreditur.*
31. *Venit ad Tupos Anthropophagos, & tandem per multa pericula ad oppidulum S. Vicenda, vbi nauem Lusitanicam inuenit.*
32. *Soluit inde, & Lysebonam nauigat.*
33. *Post multas tempestates & pericula, in portum Angliæ Wydt, & hinc Antuerpiam an.* 1554. *saluus peruenit.*

*Figuræ passim insertæ sunt.*

---

VIII. Descriptio primo trium itinerum, Nobiliss. & fortissimi Equitis,

1. Francisci Draken, qui circumnauigato vniuerso terrarum orbe, postea copiis nauticis, ad expugnandum ciuitatem Panamam, in Indiam nauigauit.

2. Secundo

2. Secundo iter nobilifs. Equitis Thomæ Candifch, *qui duorum ferè annorum fpatio* 13000. *Anglicana milliaria in mari confecit: vbi defcribuntur omnia, quæ in hoc itinere ipfi acciderunt.*

3. Tertio: duo itinera nobilifs. & fortifs. Equitis Gualtheri Ralegh. *quibus defcribitur auriferum regnum Guiana, cum aliis finitimis regionibus.*

*Omnia primùm Anglicanâ linguâ edita: nec in certa capitula diuifa, quapropter etiam prolixiorem Indicem hîc ponere non opus videtur, cum ex ipfa defcriptione, & marginalibus, res omnes notabiles attento Lectori facilè pateant.*

*Et figuræ quoque neceffariæ textui inferuntur.*

4. *Monendum occurrit, octauæ huius parti fubiunctam effe quartò (licet non fatis pertinenter)* Narrationem expeditionis, curfus marini, rerumque geftarum claffis Belgicæ *in Indiam occidentalem. an.* 1599. *itidem cum fuis Figuris.*

---

IX. Genuina defcriptio duarum nauigationum Hollandicarum, quas Bataui in diuerfas orbis partes magno animo, etfi variâ fortunâ, fufceperunt.

1. *Et primo quidem libro narratur, quo pacto quinque naues, quæ Amfterodamo an.* 1598. *foluerant, fuperato Freto Magellanico, in Moluccas infulas pertendere conatæ, diuerfo euentu vfæ fuerint, tribus fcopum fuum affecutis, duabus reliquis in periculofo illo ftricovi tempeftatum variè afflictis, irritoque conamine tandem domum redire compulfis.*

2. *Secundo libro continetur diuturna & periculofa nauigatio, quam Oliuerius* VAN-DER-NOORDT, *claffis* 4. *Nauium, &* 248. *hominum Generalis præfectus, per idem æftuofum fretum Magellanicum confecit: qui triennii fpatio velis vniuerfum terræ globum intrepidus obiuit, eoque in curfu varia notauit.*

*E Germanico latinitate donati, & æneis Iconibus fuis locis ornati.*

---

X. 1. Primò duæ Nauigationes Dn. Americi Vefputii, *fub aufpiciis Caftellani Regis Ferdinandi fufceptæ.*

*Prior, in Pariam, quam poftea fuo nomine Americam vocauit. A. C.* 1497.

*Pofterior, in modò dictam Americam. an.* 1499.

2. Solida narratio de moderno prouinciæ Virginiæ ftatu, *qua ratione tandem pax cum Indianis coaluerit, ac caftella aliquot ad regionis præfidium ab Anglis extructa fuerint: addita hiftoria lectu iucundiffima, quomodo Pokahuntas, Regis Virginiæ Powhatani filia, primori cuidam Anglo nupferit.*

*Authore Raphe Hamor Virginiæ Secretario. Anglico primò idiomate.*

3. Vera defcriptio Nouæ Angliæ, *quæ Americæ pars ad Septentrionalem Indiam fpectat, à Capitaneo Iohanne Schmidt, Equite atque Admirali, delineata* 1614. *cui acceffit Difcurfus, quomodo in fecunda nauigatione à Gallis captus, an.* 1616. *demum liberatus fuerit.*

*Subiiciuntur Figuræ* 12.

---

XI. Defcriptio admirandi itineris à Gulielmo Schouten Hollando peracti: quâ ratione in meridionali plagâ freti Magellanici nouum hactenufque incognitum in mare Auftrale tranfitum patefecerit: quas item terras, infulas, gentes, refque mirabiles in dicto Auftrali oceano obuias habuerit. Annis 1615, 1616, 1617.

*Cum Tabulis, & Figuris* 9.

*Appendix huius XI. Tomi, feu Defcriptio admirandæ* nauigationis Georgii à Spilbergen, *claffis Belgicæ cum poteftate Præfecti, per fretum Magellanicum, & mare Meridionale, ab an.* 1614. *vfque ad an.* 1618. *inclufiuè peractæ. Qua noui per fretum Magellanicum & mare Meridionale in Indiam Orientalem Tranfitus, incognitarumque hactenus terrarum & gentium, vt & omnium quæ terra marique acciderunt & vifa funt memorabilium, explicatio continetur.*

*Additis pulcherrimis Figuris in æs incifis, numero* 17.

---

XII. Defcriptio Indiæ Occidentalis. Auth. Antonio de Herrerâ, fupremo Caftellæ & Indiarum, authoritate Philippi III. Hifpaniarum Regis, Hiftoriographo.

*Acceſſerunt &* aliorum Indiæ occidentalis defcriptiones, *vti & Nauigationum omnium per Fretum Magellanicum fuccincta narratio.*

*Quibus*

*Quibus cohærent* Paralipomena Americæ, *in quibus res plurimæ memoria & obſeruatione digniſſimæ, inprimis regionum natura, aeris conſtitutio, temperamenta Elementorum, incolarum ingenia, quæ in magno opere hiſtorico aut omittuntur, aut leuiter attinguntur, iucunda non minus quam erudita deſcriptione pertractantur.*

In deſcriptione Ant. de Herrerâ *hæc habentur capita.*

1. *De Indiæ occidentalis diuiſione.*
2. *De inſtitutis in Indiam nauigationibus.*
3. *Reliqua ad nauigationes attinentia pertexuntur.*
4. *De India Septentrionali.*
5. *Fines ac termini Cameræ S. ſupremæ Curiæ S. Domingo.*
6. *De Inſulis Hiſpaniolâ & Cubâ.*
7. *De Inſulis Iamaicâ, S. Iuan, los Lucayos, & los Canibales.*
8. *De Venezuila, fluuio de la Hacha, noua Andaluzia, Florida, et nouæ Hiſpaniæ ſinu, &c.*
9. *De limitibus ſeu territorio Cameræ Mexicanæ.*
10. *De Epiſcopatibus Guaxacæ, Mechoacan, & Iucatan, nec non de prouincia Tabaſco.*
11. *De territorio præfecturæ de Guadalaiara.*
12. *De territorio Cameræ de S. Iago de Guatemala.*
13. *De prouinciis Honduras, Nicaragua, & Coſtarica.*
14. *De India Auſtrali.*
15. *De diſtrictu ac limitibus Audientiæ Panamæ.*
16. *De diſtrictu ac finibus Cameræ Sancta Fe de Bogota ſiue de nouo regno Granatenſi: & de regione Peruanâ.*
17. *De diſtrictu Cameræ S. Franciſci del Quito.*
18. *De prouinciis Popayan, los Quixos, en la Canela, Pacamoros, & Gualſongo.*
19. *De diſtrictu Audientiæ de los Reyes.*
20. *Recenſentur reliqua quæ ad hanc Cameram pertinent loca.*
21. *De diſtrictu Cameræ de la Plata ſiue de los Charcas.*
22. *De diſtrictu præfecturæ Chiles.*
23. *De prouinciis Freti Magellanici.*
24. *De prouinciis de Rio de la Plata, & Braſilia.*
25. *De prouinciis & regione Braſiliæ.*
26. *De India occidentali, nempe Inſulis aromatiferis, Philippinis, Chinarum tractu, Iapan, & los Lequios.*
27. *De noua Guinea, Inſulis Salomonis, & de Ladrones, quibus India occidentalis terminatur.*
28. *De ſupremo Indiarum concilio, & ſpirituali Eccleſiarum in his locis regimine, ſub auſpiciis Regis catholici.*
29. *Adhuc de ſpirituali regimine, bonis defunctorum, matrimoniis & S. Inquiſitionis officio.*
30. *De forma imperii qua vti ſolet ſupremum Indiæ concilium, deque Camerarum fundatione, & regiis iſtorum tractuum cancellariis.*
31. *De negotiis quæ à ſupremo concilio ex conſenſu Regis pertractantur.*
32. *Reliqua ad Indiarum regimen pertinentia. Subiungitur Catalogus Præſidum, Conſiliariorum, Secretariorum, & Fiſcalium ſupremi Indiarum concilii &c.*

*Tabulæ neceſſariæ paſſim interſertæ ſunt.*


*Quod attinet* aliorum deſcriptiones Indiæ occidentalis, *continentur hîc.*

1. *Narratio Nauigationis inſtitutæ mandato Regis Hiſp. an.* 1618. *à duabus Carauallis, quæ ſoluentes portu Lisbonenſi, verſus Auſtrales mundi partes ad luſtrandum Fretum le Maire, profectæ ſunt, ductu D. Iuan de More capitanei &c.*
2. *Breuis Narratio omnium per Fretum Magellanicum inſtitutarum nauigationum.*
   1. *Ferdinandi Magellani. an.* 1519.
   2. *Nauium Epiſcopi Placentiæ D. Gutieres Caruaial.*
   3. *Iuſſu M. Garciæ Mendoza, ſoluentibus è Chili nauibus.*
   4. *Claſſis D. Frey Garciæ & Iofre de Loayſa.* 1525.
   5. *Franciſci Draci.* 1572.
   6. *Petri Sarmiento, è Limâ.* 1579.
   7. *Thomæ Candiſch.* 1587.
   8. *Eiuſdem Candiſci.* 1591.
   9. *Iacobi Mahu & Simonis de Cordes, Rotterodamo ſoluentium.* 1598.
   10. *Oliuarii de Noort, à Belgio ſoluentis. an. eodem* 1598.
3. *Catalogus vocabulorum aliquot, quibus vtebantur incolæ Inſularum Salomonis.*
4. *Deſcriptio Indiæ occidentalis Petri Ordonnez de Ceuallos.*
   1. *De Inſulis Canariis &c.*

2. *De*

3. *Sylloge*

*FINIS.*








GAUDEO